

COLENDISSIMO PARENTI SUO
CLAUDIO DONZY

REGIS CONSILIARIO, MEXIMIACI PRÆFECTO,
ET MEDICO.

HOC PRIMUM DOCTRINÆ
JATRICÆ SPECIMEN,

IN ÆTERNUM AMORIS, GRATITUDINIS, ET OBSEQUII
MONUMENTUM

D. D. C.

JOSEPHUS DONZY MEXIMIACENSIS,



MONSPELII;

Apud HONORATUM PECH, Regis, Universitatis, Cleri
& Urbis Typographum. 1713.

COLLEGISSIMO PARENTI SUO

CLAUDIO DONEY

FOUR CONSULTARIO, MEXICANO PRACTICO,

ET MEDICO

HOC PRIMUM DOCTRINAE

IN ANATOMIA SPECIMEN,

IN ANATOMIA MORBI, GRATIUM, ET GRATULUM

MONUMENTUM

D. D. C.

JOSEPHUS DONEY MEXICANENSIS

MONSELLI,

IN HONORARIUM LECUR, REGIS, UNIVERSITATIS, CLAU

& UBI TYPOGRAPHUS

QUÆSTIO MEDICA,
PRO BACCALAUREATU;

PROPOSITA

AB ILLUSTRISSIMO VIRO

D. D. JOANNE BEZAC

In almâ Monspeliensium Medicorum Academiâ,
Professore Regio dignissimo.

An Purgantium vis à Salibus?



ETSI Purgantis nomen pro quolibet evacuante Pharmaco, latâ significatione usurpari soleat, intereâ tamen Purgans, Græcis *Kathartikon*, per excellentiam nuncupari solet *Medicamen*, quod, quæcumque per intestinalem ductum fluere valent, per anum evacuandi virtute præditum est.

Quæ verò per chylopæum canalem fluere ac devolui possunt, hæc sunt, 1°. Sæburæ è digestionum reliquiis tum in ventriculo, tum in intestinis, sive tenuibus, sive crassis residuæ. 2°. Humores digestivi, saliva nempe deglutita, gastricus humor, pancreaticus, bilis, & succus qui ex intestinorum glandulis exsudat; tum is, qui fluiditatem servat, tum ille, qui sub crustæ mucosæ specie intestinorum obducit parietes. 3°. tandem fluida quælibet in massâ sanguinea contenta, quæ vi medicaminis per ventriculi, pancreatis, jecinoris, & intestinorum glandulas derivari possunt.

PROPOSITIO PRIMA.

Purgantia operantur in ventriculo, & intestinis; & materies in his contentas per anum evacuant.

PROPOSITIO ex effectibus cathartorum probatur; medicamenti enim purgantis actione incipiente, cardialgiæ, nausæ, ructus excitantur, finitâ, id est, post aliquas dejectiones, hæc omnia sedantur; obscurum pondus, quod ante medicamenti assumptionem persentiebat æger in stomacho, peractâ cathartici operatione evanescit; qui prius vomitus infestabat ægrum, pacatus est;

æger V. G. antè exhibitum purgans copiosè bilem evomebat, nunc post aliquas dejectiones flavas, hoc est biliosas, non vomit ampliùs; appetitus dejectus antea vel depravatus nunc fit naturalis. Ergò omnia phænomena hæc catharticum in ventriculo egisse & materies ab ejus cavo inferiùs eliminasse evidenter indicant.

Attendamus jam progressui & fini catharseos. Excitantur in abdomine tormina vagantia, borborygini, calet & intumescit abdomen; hæc mox subsequuntur dejectiones cum ægri abdominis levamine, detumescit abdomen, pacantur in eo priùs excitata tormina & murmura; inspiciantur dejectiones, ex observantur modo, præsertim initio, stercorosæ, hinc liquidiores, eaque subindè flavedine infectæ, subindè virore, & biliosæ materiei speciem repræsentantes, subindè mucosæ, quæ totidem muci intestinalis frustula ostendunt, aliquando verò serosæ, & quasi spumescentes, profectò lympham pancreaticam, & intestinales quibus constant demonstrantes: igitur talia catharticum in intestinis quoque operam prestitisse & quæ in eis continentur per anum eliminasse abundè significant.

PROPOSITIO SECUNDA.

Operantur Purgantia in massâ universali humorum, quæ nancupari solet massa sanguinea; & varia indolis fluida è tali massâ expurgant.

CONSTANTER observatur operationis cathartici initio & progressu calorem in universo corpore intendi, pulsum frequentiorè fieri, & pleniorè, sitim sæpissimè adaugeri; quæ quidem purgans medicamen in massâ sanguinis operari, eamque exagitare ostendunt. Neque dicas (*Thef. Parisiens.*) Phænomena hæc ex eo deducenda esse, quòd purgans medicamen intestina irritando vibrationes produxerit in vasis sanguiferis abdominis, quæ ulterius aliis communicantur, undè calor & pulsus adauctus; præterquam enim quod doctrina hæc adversatur Anatomicis, insuper quæ per eam explicabitur purgantia nunquam sudores excitare vel urinæ profluvium, absque ullâ fermè per alvum dejectione, ut pluries in praxi occurrit, quin imò rhabarbarum urinas suo sæpe tingere colore, & pharmacum purgans nutrici exhibitum infantem lactantem quoque purgare; In quantum voluerint vasa vibrari faciant, & viderint an memoratis phænomenis nervosè satisfieri queat, non admissò ingressu & actione purgantis in massam universalem humorum; sed res per se clamat; persuasi itaque purgantis particulas agere in massâ sanguineâ, videamus jam an finis operationis illius sit eliminare varia fluida ex ipsius penu.

1^o. Cathartica infusa venis purgant, quin imò violentiùs quam sumpta per os (*Vid. Etmullerus de chirurg. transfusor.*) talia autem purgantia per intestinales glandulas eliminant fluida massæ sanguinæ, quandòquidem primariò, & immediatè in sanguinem agunt; igitur & pariter purgantia solita, quorum vis, saltem partim, in sanguinem transit, fluida quædam eliminant in ipsius mole priùs contenta.

2^o. Finitâ purgatione, in sanis etiam, debilitantur vires, succedunt interdum vertigines, vacillant genua; Quæ quidem phænomena certiores nos faciunt.

fluida quædam amissa fuisse, quæ vires antea fovebant; sed fluida talia nemo dixerit stercorosas esse materies, vel humores recrementitios secretos jam, & in intestina dilapsos; restat ergo dicendum fluida purgatione amissa quæ prius vires fovebant, è sanguinis penu fuisse dilapsa, eaque profectò laudabilia valdè, & bonæ indolis, imprimis spirituosæ.

3°. Eliminantur catharticis per intestina asciticorum aquæ & Anasarçâ tumentium; porrò in anasarçâ & leucophlegmatia sero tument lymphæ ductus habitus corporis, quare si purgatione detumeant, serum illud, quo tuebant, debuit per lymphatica resorberi à sanguine, & ex illo per glandulas intestinales expui; extravasatæ vero aquæ in abdomine, ut per intestina diffluant debent per attenuationem, & in roris modum per poros resorberi; sed partes illæ aquæ in rorem conversæ occurrunt ubique vasis sanguiferis, & lymphaticis, aquæ ergo hydropicorum evasatæ remiscentur tunc lymphæ & sanguini circulantibus, quorum proinde periodico motu abripi debent, & sic deinceps purgantis actione per anum expelli modo inferius exponendo; insuper in hydropicis sanguis sero luxuriat, ut plurimum tale serum exuperans à cathartico evacuatur, ergo illud à sanguine profluxit.

4°. Purgatio ptyalissimum compescit; itaque salivofus ille humor, qui prius è sanguine per glandulas salivales copiosus manabat, nunc ex ejus massâ determinatus fuit à cathartico ut per intestina fluat; idem dic dùm cathartici operâ variæ sistuntur fluxiones serosæ suprâ oculos, aures aliasve corporis partes, eaque prius valdè humidæ jam ad siccitatem naturalem rediguntur.

5°. Inspiciantur materiæ fluxiles, quâ copiâ interdùm cathartici vi eliminantur, & profectò quislibet persuasus erit fluida hæc non fuisse simul in fistulâ intestinali contenta penitus, sed partim ex uberiori scaturigine, sanguine, videlicet emanasse.

6°. Nonne catharticis quotidie curantur morbi, in quibus massâ humorum est corrupta, seu ut loquar antiquorum more; nonne cacochymia purgatione tollitur, igitur è sanguine prava liquida eliminantur.

7°. Cathartica exterius adhibita vim suam exerunt nonnunquam; sic decoctum colocynthidis calidum abdomini applicatum infantes purgat; sed non possunt agere ita cathartici partes nisi prius transierint per poros in massam universalem humorum, & per eam mediâ circulatione fuerint dispersæ, quare cum in massam sanguineam primariò agant, primariò & quoque illam expurgant. Hæc similiave experimenta, & rationes purgantia agere in massam sanguineam, & ex eâ varia fluida expurgare invictè comprobant.

PROPOSITIO TERTIA.

Purgantia operantur per partes minutissimas & insensibiles; & ut ista agant à particulis alicujus fluidi convenientis in omnem loci differentiam abripi debent.

PRIMA pars hujusce propositionis ex duabus præcedentibus deducitur, in his enim probatum est purgantia agere tum in quavis fluxilia in intestinis contenta, tum in massam universalem humorum; sed frustula crassa medicamenti quatenus talia in motum vix agerentur, & nequirent incitare motus intesti-

nos fluidorum purgandorum, undè sic inertia manerent, adde quod in massam humorum transire minimè possent. Hisce non refragatur experientia, quâ constat quosdam odore purgantium expurgari; quod nisi per miasmata tenuissima humores corporis penetrantia explicari potest, ergo moleculæ purgantis pharmaci, quæ memoratas (*Vid. prop. 1. & 2.*) inducunt in corpore mutationes debent esse minutissimæ sensusque rudiores effugientes, agens patienti proportionatum esse debet; quare vis purgantium in partibus insensibilibus consistit. Porrò partes illæ insensiles inter se cohærent & continuum constituunt in mole medicaminis, ergo ab aliquo agente proportionato, cujusmodi sunt liquida à se invicem sejungi debent, & in motum agi, ut singulæ huc & illuc in omnem loci differentiam ferri possint ad hoc, ut undique impetant in moleculas insensibiles materialium in intestinis contentarum & in minutas partes variorum massæ sanguinæ fluidorum.

DEFINITIONES.

Liquidum, quod ad dissociandas & movendas purgantis particulas insensibiles idoneum & proportionatum existit, *Menstruum* dicitur.

Liquidum verò, quod ex menstruo & particulis purgantis in eo innatantibus emergit, *Tinctura purgans* vel *Tinctura purgantis* audit.

Quare vis tinctura in sequentibus considerabitur, ut emanans solùm à particulis medicamenti purgantis, quatenus tamen à menstrui partibus in motum concitatis.

Cum textus purgantium medicaminum non idem apud omnia sit, & particulæ purgantes in omnibus ejusdem non sint indolis, idè & quoquè varia requiruntur menstrua, & quidem determinata pro cujusque purgantis indole; sic alia sunt purè aquea, alia sulfurea; sed ut utraque potentiùs agant in purgantis moleculas, particulis egent quibusdam activis, quas vulgò *Salinas* vocant, quapropter menstrua purgantibus accommodata vel *aquea* sunt, vel *salino-aquea*, vel *salino-sulfurea*, plus minus.

Rem ita se habere quotidiana comprobatur Pharmacopœorum experientia; sic è fennâ, mannâ, rhabarbaro, tinctura purgans elicitur solius aquæ ministerio, sed adhuc potentiùs hæc elicitur, hoc est horumce medicaminum particulæ insensiles à mutuo contactu magis separantur & activiùs in motum aguntur, modò aquæ sal aliquod conveniens addatur, ut sal absinthii, tamarisci, vegetabile &c. Quare sic menstruum evadit salino-aqueum. Econtra Jalappa aquæ ministerio particulas suas purgantes è suo sinu non diffundit, aliquatenus verò si ipsi aquæ adjiciatur sal aliquod lixiviosum, sed longè perfectiùs, si menstruum sulfureum sit, qualis est vini spiritus: hujus enim ope quotquot in hæc radice delitescunt purgantes particulæ elicientur, relictis partibus inertibus & otiosis, & multò potentiùs si adjectione salis convenientis, ut salis fixi tartari, menstrui hujus adaugeantur vires, & sic menstruum evadat salino-sulfurcum.

PROPOSITIO QUARTA.

Purgantia genericè agunt, quaecumque continentur in primis viis, sive spissa sive fluxilia, suis minimis particulis dissolvendo, atterendo, exagitando; sanguinis massam, sed præprimis lympham, attenuando; fibrasque ventriculi & intestinorum, nec-non ductus eorum excretorios vellicando & irritando.

TEMPUS frustra non teremus ad examinandam eorum sententiam, qui cum Hippocrate & Galeno existimarunt purgantia agere per substantiæ similitudinem, & sic ea humores sibi met ipsis convenientes attrahere; quasi verò ipsis virtus aliqua inesset magnetica; Neque eorum, qui cum Mesueo protulere purgantia agere qualitatè occultâ penitus & divinâ; Nec etiam hærebimus ad Chymistarum quorundam refutandam opinionem, qui terminis quibusdam *fermentationis, dissolutionis, & præcipitationis* se totum purgantium opus explevisse existimant. His igitur similibusve missis, ad demonstrandam propositionis veritatem prius videndum & disquirendum, quid sit purgatio; ut deinceps quomodo operatio talis à medicamentis catharticis excitetur clarè detegamus.

Purgatio motus est in ventriculo & intestinis ad excretionem per anum tendens; qui fit ipsorum fibrarum contractilibus, naturali solito celerius & validius, seriatim tamen contractis, quarum motu contenta, quæ reperiuntur in ventriculo, & intestinis, per ipsorum tractum solito trudentur citius, tandemque per anum eliminantur. Purgatio duplex à medicis statuitur alia naturalis, artificialis alia. Naturalis, quæ à natura solâ absque adjumento producitur, duplex est critica & symptomatica; Critica ea est, quæ fit cum bonis ægri rebus; talis est diarrhæa salutaris, quâ primæ viæ sarcinâ noxiâ, & sanguis succis pravis expurgantur; Symptomatica è contrâ ea est, quæ fit cum malis ægri rebus ut accidit in cholera morbo, quæ summam denotat tum in materiis primarum viarum tum in massâ humorum ferociam & asperitatem lethalem. Non agimus hîc de causis purgationis naturalis, sed artificialis tantum, quæ nempe à medicamento producitur; inquirendum itaque nobis incumbit, quî medicamentum haustum stimulet ad motum hunc excretorium, quo nimirum fluida è sanguine expuantur in intestina, & quælibet contentæ in ipsis materiæ solito copiosius deturbentur.

Hauritur purgans medicamen vel liquidâ vel siccâ formâ, ut ajunt medici in formulis; si priori modo, jam ipsius tinctura elicitæ est, hoc est partes insensibles pharmaci convenienti liquido jam exsolutæ sunt, à quo hîc & illuc in omnem loci differentiam aguntur; si vero siccâ forma assumatur pharmacum, id quoad partes insensibles exsoluitur tum à salivâ deglutitâ, tum à lymphâ quæ in ventriculi cavum ex ipsius glandulis expuitur; hi enim humores digestivi etsi potissimum aquei continent insuper partes diversæ indolis valdè penetrantes, quas *Salinas* vocant, & aliquas sulfureas, proindèque constituunt menstruum aptum ad dissolvendas partes insensibles plurimorum mistorum, seu ut chymicè loquar ad tincturas ex his eliciendas; itaque è medicamine quolibet à memoratis mensuris tinctura prolicitur.

Hæc ita operatur statim in ventriculo; agit primò in materiis in ipso conten-

tas, sive viscidæ sint, mucosæ, aliisque indolis reliquæ digestionum prægressarum, exsoluit eas, ac liquidiores efficit, viamque sibi sternit ad stomachi substantiam, per cujus poros partes subtiliores tincturæ purgantis massam sanguineam subeunt, in quâ turbas excitare incipiunt inferius declarandas; tinctura verò eliquans materies in ventriculo ipsius fibras tum per se vellicando, tum per rarefactions in hisce materiebus eliquandis suscitatas, distendendo, irritat, hinc cardialgiæ, ructus, nausæ, imò vomitus, si irritatio intensa sit: materiæ ità in stomacho liquefactæ, ab irritatis valdè fibris contractilibus, & proinde motum celeriores peristalticum producentibus versus pylorum, & exindè in duodenum præcipitandæ celerius & expeditius protruduntur, hinc primùm stomachi purgatio. Tinctura pharmaci materiebus eliquatis mista & in duodenum protrusa eosdem ibi producit effectus, & in intestinis tenuibus, ac in ventriculo; saburræ scilicet, & materiæ mucosæ, intestinorum parietibus, & rugis in hærentes exsolvantur, irritantur pariter à tincturâ pharmaci villi contractiles intestinorum, citius & vehementius peragitur peristalticus motus, quare materiæ intestinorum cavum oblinentes protruduntur & evertuntur quasi; cùm autem tales materiæ viscidæ abrasæ sunt, vasa glandularum intestinalium excretoria prius his constipata, jam liberantur, effunduntque proinde intestinale serum ac antea liberalius, tantò magis, quò vasa hæc excretoria sic suscipiunt facilè occursum tincturæ purgantis, quâ validè irritata ad expuendum citò & vehementer serum contentum coguntur, quamobrem citius exindè fit deinceps excretio, & proinde secretio ejusdem seri versus intestinorum cavum, hoc est copiosa ejus expurgatio; serum intestinale copiosius effusum cæteris materiebus à tincturâ purgante liquefactis commiscetur, earumque adauget fluxilitatem ac molem, hinc ulterius exsolvantur subsequentes materiæ movendæ, potentiùsque irritatur intestini pars subsequens, & sic deinceps continuatio purgationis per intestinorum tractum peragitur. Sed notandum quod dum tinctura purgans transit per duodenum irritat & ostiola pancreatici, & choledoci ductûs, undè hi canales & per consensum ipsorum origines ad contractionem systolicam incitantur, proindèque bilem, & succum pancreaticum in duodenum uberius expriment, eò magis quò liberatis vi tincturæ purgantis à materiâ quadam mucosâ ipsis ordinario in hærente eorum ostiis in duodenum hiantibus, hi humores deinceps faciliùs fluunt. Jam itaque in intestinis ecce purgantem tincturam, saburrâ ventriculi & intestinorum, bilem, pancreatis succum, serum intestinale, materies mucosas intestinorum parietes obducentes, eaque omnia simul commista & fluxilia; confusa hæc fermentescunt simul, rarefcent, flatus suscitant, intestina distendunt, irritant, vellicant, hinc intestinorum tormina, borborygmi, abdominis intumescencia, calor, &c. Materies hæc fluxiles celeriori & validiori factò motu peristaltico, citò percurreunt universum intestinorum tenuium tractum; sed dum ità per intestina volutatur tinctura purgans aliis commista fluidis, semper partes ipsius tenuiores, & magis mobiles poros intestinorum penetrant, sanguinique commiscetur; aliæ vero fluidi forma crassioris in venas lacteas abeunt, ab his in sanguinem transitura, in cujus massâ mutationes inferius tradendæ suscitantur. Reliquæ tincturæ purgantis, quæ in massam sanguineam neutro ex dictis modo transiere, magnæ quantitatis memoratorum fluidorum commistæ

quandò ad intestina crassa pervenere, emolliunt fœces, intestina irritant, hinc
 eæ, & quidem ratione loci priores, per anum vi contractivâ coli, & recti
 foràs expurgantur, quas mox sequuntur memorata fluida confusa simul cum
 tincturæ purgantis reliquiis, quæ expurgatis semel fœcibus, citissimè ob fluxi-
 litatem, & intestinorum vellicationem eliminantur; atque ità expurgantur una
 cum pharmaco materiæ in intestinis contentæ. Jam verò particulæ purgantis
 pharmaci, quæ tum sub formâ tenui, tum sub crassiori, in massam sanguineam
 duplici modo superiùs assignato transiere, ita in ipsa agunt. Motum sanguinis
 statim adaugent (*Vid. prop. 2.*) sive quia ob texturam compactam majorem
 suscipiunt à materia æthereâ motûs quantitatem, sive quia ob figuram, in san-
 guine fluidi ejusdem ætherei cursum aliquatenus intercipiunt (hanc ultimam
 dispositionem vocant *Æterogeneitatem*) particulæ purgantis pharmaci sanguinis
 minima sic exagitantur exsolvunt ea & à mutuis adhælionibus separant, quo-
 niam autem novem insunt sanguini lymphæ partes, & unica cruoris, seu partis
 rubræ, & lymphæ constituit liquidum fluxile magis, cruor verò viscidius &
 exsolutionem sui minus patiens, hinc fit ut actio purgantis tincturæ notabilior
 & fermè universa sit in lymphæ massâ, proindèque tali operatione dici potest
 lympham exsolui notabiliter, ipsius infringi visciditatem, eamque quoad in-
 signem sui portionem facescere in serum lymphaticum, quod per glandulas di-
 labi facillimè, ac proindè per cola abundantius secerni possit. Investiganda restat
 causa, quâ fit ut serum illud lymphaticum facilius per intestinales glandulas
 quàm per alia cola dilabatur, seu, ut ajunt, per eas determinetur. Serum illud
 fluxilius factum motu sanguinis periodico ad quælibet corporis cola indiscri-
 minatim volutatur, ergo ubicumque ad secretionem dispositum, si tamen faci-
 liorem alicubi reperiat viam, eam ex liquidorum legibus sequetur; hæc autem
 occurrit ratio in glandulis ventriculi, & intestinorum imprimis, harum siqui-
 dem ostiola excretoria in cavum intestinorum hiantia jam patula admodum
 facta fuere, ut potè quæ liberata materiis mucosis oblinientibus & quasi leviter
 obstruentibus (ut deducitur ex supra dictis) proindè quâ proportionem secerne-
 tur è sanguine liquidum per intestinales glandulas, eadem in intestina expuetur,
 & ità canalis secretorius semper erit obsequiosus ad suscipiendum à sanguine
 fluidum, quod proindè facillimè in eum ut pote obsequentem intrudetur; in-
 super irritatione glandularum intestinalium quam excitat tinctura purgans stimu-
 latur ac intenditur in ipsis motus systalticus (hæ enim vasorum intortorum glo-
 mera sunt) quare expellitur citius per earum tractum liquidum, quâ propor-
 tione secernitur, undè ex tali facilitate quam habet ad fluendum serum sangui-
 nis lymphaticum per glandulas intestinales fit, ut id copiosius per illas in in-
 testina excernatur, & expurgetur parcius proinde per alia cola, hinc explicatio
 sudoris, urinarum, salivæ, similisve serosi laticis effluxûs imminutionis, & non-
 nunquam supressionis obortâ per alium purgatione. Porro vitiosæ moleculæ san-
 guini commistæ purgantis vi divisæ & cum sero lymphatico mistæ & confusæ
 in intestina delabuntur & excernuntur, hinc succorum cacochymorum sanguinem
 infestantium expurgatio; pro vario autem harum molecularum vitiosarum cum
 particulis viscidis sanguinis cohælionis gradu fœlix, vel infœlix succedet ipsa-
 rum purgatio; si enim tales sint ut crassæ molis existant, viscidæ valde & arctè

Cum parte viscidâ lymphæ coherentes, tum ob insufficientem fluxilitatem, & molem insignem utpote ex quampluribus sibi invicem agglutinis resultantem, ostia arcta ductuum excretoriorum subire non poterunt, sed à motu sanguinis periodico abripiuntur, ac præterfluent, unde hæc non expurgabuntur, vimque cathartici ita eludent; quo tempore laudabiles & spirituosæ sanguinis partes, ut pote tenuiores, secermentur & expurgabuntur. Verùm materies sic se habentes ab antiquis vocantur *crude*; Quare ex his patet ratio cur initio febrium putridarum purgationes non fœlices, cur in constitutionibus melancholicis, siccis, purgantium vis sæpius eludatur, vixque causæ morbi officiant &c. Similiter si moleculæ istæ vitiosæ sanguinem infestantes motu intestino valido, unâ cum reliquis massæ sanguinæ agantur & abripiantur, cathartici operâ ulterius agitata, ulterius in sanguine confundentur, vasa ad ruptionem distendentur, serosæ partes fluxiliores per diaphnoen dissipabuntur, adeoque particulæ istæ vitiosæ à reliquis abripiuntur, ab iis seungi non poterunt, ut abeant in serum fluxile, quod vehiculum deficiet quoque, & residuum confusum cum viscosis partibus sanguinis erit, undè moleculæ istæ pravæ in ostiola ductuum secermentium intestinalium derivati non poterunt, hinc nulla aut vix ulla purgatio, cum augmento symptomatum, cum vitæ discrimine, hinc patet ratio cur non purgandum in orgasmo, cur antè purgationem venæ sectione sanguis mitti debeat, cur initio febrium acutarum, imprimis cum alicujus visceris inflammatione, purgationes adeò periculosæ, & aliquando lethales. Si verò è contra moleculæ succorum caecochymorum exiguæ sint, viscosis lymphæ partibus parùm coherentes intestino motu immodico non agitata, & unâ cum serosâ lymphæ parte facile exsolvantur & abripiantur, tunc ostiola canalium secermentium facillimè subibunt ut ut exigua & per hos canales facillimè præterfluent, hinc summâ copiâ, vel levi mediocre accedente cathartico, expurgabuntur; hinc patet ratio cur in progressu & imprimis sub finem febris putridæ ita fœliciter operentur cathartica, cur depletis vasis, cur in humidis, & copioso potu dilutis; cur in infantibus & sequiori sexu debiliora sufficiant cathartica, quàm in adultis & viris. Materies autem in sanguine ita se habentes *coctæ* apud medicos audiunt; Quare ex dictis eruitur ratio Hipp. Aph. 22. 24. & 25. sect. 1.

Verùm ut ut felix succedat purgatio semper unâ cum sero lymphatico fluxiliori evaso plurimæ commistæ sunt partes spirituosæ bonæ indolis & nutritivæ, quæ simul cum eo excernuntur & deperduntur, hinc à purgantibus in primis reiteratis ac validioribus virium jactura & tabes; iis enim insuper, ut ex dictis patet, essentialiter sanguinis textus laxatur, unde liquor iste vitalis successu temporis effætus fit & acer; hinc elucet ratio, cur pharmaca purgantia sint exigua venena.

Objiciet Chymista excretionem fluidorum è sanguine per glandulas intestinalium fieri per præcipitationem, quæ specialem fermentationem sequitur, quam excitat purgans pharmacum in sanguine, non autem à memoratâ facilitate & obsequiositate inductâ intestinalibus glandulis ab irritatione, & ostiolorum à mucositate liberatione, quandoquidem tincturæ purgantes animalium venis infusæ violenter alium movent, tunc autem nulla adest in intestinis tinctura, quæ glandulas irriteret aut ostiola ipsarum à mucositate liberet; idem pariter contingit, persequetur chymista dum quis ex Pharmaci odore solo purgatur.

Resp. injectam tincturam purgantem in venam animalis inficere tunc indifferenter universos humores massam sanguineam componentes, quamobrem cum iis per quælibet cola secernuntur purgantis particulæ, itaque dum glandulæ intestinales has semel è sanguine susceperè irritationem patiuntur in intestinis transmittendam, hinc deinceps reliqua suprâ memorato ordine consequuntur.

Verùm inquires, partes purgantis secernuntur quoque per alia cola, ergo ea irritare debent & producere per illa evacuationem.

Adhoc respondeo non indiscriminatim partes quælibet solidas corporis humani à quibuslibet liquidorum particulis irritari, id declarat experientia, ita serum bronchiale bronchia & asperam arteriam haud irritat, vel minima interim aquæ insipidæ frigidæ vel tepentis guttula in hanc dilapsa summam producit irritationem, vinum stibiatum oculos molestè non afficit oleum verò summopere etsi dulcissimum, è contrâ vinum stibiatum summopere ventriculum lacescit, oleum parumper; cantarides haustæ vix in ventriculo impressionem faciunt. in quem immediatè applicantur, exulcerant verò, & corrodunt speciatim vias urinæ famulantes; Sexcenta hujuscemodi afferri possent exempla; Itâ similiter purgantis partes sanguini immediatè affusæ tales existunt, ut in glandulis intestinalibus irritationem, neutiquam vero in cæteris producant & sic iisdem principiis semper explicabitur operatio purgantium. Rationem discriminis hujus irritationum in variis corporis partibus, nî vetaret series propositionum, inquirere possem; sed hîc loci sufficit probasse experientiâ hanc propositionem esse veram, *liquida qualibet non indiscriminatim irritant quælibet partes nostri corporis, sed certæ certas*; Ut vero similiter asserere possim glandulas intestinales potissimum irritari à particulis purgantium præ aliis corporis partibus. Profectò etsi ignorati hâc in materiâ, ut & in fere universis aliis rebus medicis, aliquid semper restet, rationes allatæ menti magis faciunt satis, quàm vocabula mera certæ cujusdam fermentationis à purgante pharmaco in sanguine productæ & hinc præcipitationis suscitata; hi enim termini plus lucis non afferunt quam occultæ qualitates.

PROPOSITIO QUINTA.

Vis purgantis diversa à validiori, mitiorive ipsius particularum vi in exsolvendis materiis intestinalibus; attenuandâ lymphâ; & irritandis fibris, & ductibus ventriculi, & intestinorum excretoriis, & secretoriis; dependet.

PROPOSITIO hæc corollarium reverà existit proximè præcedentis; interim ipsam elucidari æquum est tradendo modum quo diversâ vi ac determinatâ agant varia cathartica.

Longâ medicorum experientiâ observatum fuit, & confirmatum quædam inter numerosa, quæ exhibet natura, purgantia, debilius, validius quædam, nonnulla tandem potentissimè purgare; adeò ut prima parùm exagitent, optimè agant in debilibus naturis, nil aut vix in robustis, quare Prisci dixere hæc agere solummodo in primam regionem h. e. primas vias. Secunda potentiùs agunt, notabiles excitant turbas, in robustis conveniunt, vel quibus materiæ sat po-

center sunt eliminandæ, quæ debilibus resisterent catharticis, undè Antiqui dixere ea agere in primam & secundam regionem hoc est usque ad massam sanguineam. Tertia tandem summâ ferociâ agunt, summas excitant turbas, humores admodum immutant, evacuationesque copiosissimas fluidorum massæ sanguineæ producunt, adeoût exiguorum venenorum indolem præ se ferant, & non nisi in naturis robustissimis præscribi possint, in debilibus verò perniciofa adedò existant, ut mortem operationis tempore inferre valeant, talia dixere prisca ad tertiam usque regionem h. e. ad ultimos corporis recessus & partes solidas actionem ferre v. g., inquebant, ab ipsis purgari articulos, aquas hydropicorum, &c.

Quamobrem ratione intensiõis vel remissionis operationis purgantis pharmaci Antiqui purgantia divisere in mitiora, mediocria, & vehementia, quam divisionem admiserunt quoque Recentiores, ut pote experienciâ confirmatam, stabilitam, & ad praxim summe utilem & necessariam. Jam triplicis hujusce classis purgantium operandi modum sigillatim paucis enucleemus.

Mitiora purgantia dicta etiam *Lenitiva*, *Laxantia*, *Eccoprotica*, qualia sunt v. g. manna, tamarindi, pruna, uvæ passæ, &c. Vix alterationem producunt sensibilem, nam stomachus, & intestina rarò ab iis irritantur; corporis calor, pulsus plenitudo & frequentia vix augentur, tum materiæ, quæ ejiciuntur sunt emollitæ fœces & portio quædam saburræ intestinalis facta fluidior, undè concludo talia purgantia debiliter operari in primis viis, & multò debilius in massam sanguineam, adedò ut tota fermè vis ipsorum considerari possit exantlari in materies contentas in primis viis, quas tinctura hujusmodi debilis purgans aliquatenus eliquat, & fluxiliores reddit; insuper hæc leniter irritat intestinales fibras, hæc aliquantum solito validiùs & velocius successivè contrahuntur; parùm expuitur seri è glandulis irritatis & sic succedit materierum fluxiliorum & ab intestinis contractis propulsarum solito naturali citior & copiosior excretio, hoc est terminus & finis operationis purgantis mitioris.

Purgantia mediocria dicta speciatim *Cathartica*, ut senna, jalappa, scammonium, turpethum, aloes, agaricum, hermodactili, ventriculo nauseosa sunt, tormina excitant, augetur calor, & pulsus sensibiliter ab eorum assumptione, variæ turbæ, & anxietates ab ægro persentiuntur, dejectiones non sunt stercoreosæ solummodo, sed & succedunt deinceps, mucosæ, serosæ, &c. Et quidem aliquando copiosissimæ, unde concludo hæc potenter agere tum in materies primarum viarum, tum in humorum massam; igitur valde dividunt & eliquant ventriculi saburræ, eum sat irritant, eundemque præstant effectum in intestinis hoc est valde dividunt, & fluxiliores efficiunt materies mucosas & viscidas intestinorum, ea valde irritant ad vehementem contractionem, & humores digestivos, intestinale præprimis in cavum intestinorum affatim & copiosè expuicogunt; tandem notabiliter dividunt sanguinis serum lymphaticum, & particulas viscidas in eo innatantes; quapropter fluida hæc disponunt ut copiosè per glandulas intestinales secernantur & evomantur, quin imò inter hujusmodi purgantia quæ resinosa sunt ut Jalappa, scammonium, turpethum, agaricum particulis quibus operantur resinosis, ita pertinaciter intestinorum parietibus adherent, ut à materiis fluidis transcuntibus vix elui possint, hinc vellicationes magnæ, summa tormina, & anxietates; ità autem vellicata stamina intestinorum,

& glandulæ contrahuntur, ut citissime expuatur, adeoque copiosissime serum massæ sanguineæ secretionem jam evasum intestinale, quin imò mucosæ materies intestinis adhærentes vi hâc contractoriâ penitus abraduntur, eoque modo à re-
sinosis purgantibus, ut est Jalappa, in sanguine hydropicorum exsuperans serum exhauritur.

Purgantia tandem vehementissima, *Mochlica* dicta, qualia sunt colocynthis, elaterium, elleborus, gutta gambi, esula, ricinus americanus, gratiola, &c. deleteriis velut qualitatibus prædita videntur; ventriculò enim ita nauseosa sunt, ut persæpe vomitus immanes suscitent, tantâ excitantur tormina, ut subsequatur non rarò syncope, summæque semper adsint anxietates, & ita violenter expurgatur æger, ut nonnunquam sanguinis fluxus subsequatur, aut saltem copiosa adedò fluida, serosa imprimis, eliminantur, ut æger viribus deficiat. Quibus perpen-
siphæno-phenomenis deduco *Mochlica* agere imprimis irritatione enormi, itâ ut ipsorum partes intestina vellicantes veluti vi septicâ & corrosivâ videantur præditæ, cum sanguis à vasculis rotis subindè erumpat, summâ autem hâc vellicatione ita succutitur nervosum genus, itâ dissipantur spirituosæ partes, itâ determinatur sanguinis serum ad citissime transfluendum per glandulas intestinales, & in intestinorum fistulam dilabendum, ut ex hisce subsequantur universæ turbæ prædictæ. Adde quod partes mochlici, quæ in massam sanguineam transire itâ ipsius moleculas secant, dividunt, & in serositates resolvunt adinstar veneni corrosivi, ut omnes hæ turbæ hâc ratione adaugeantur adhuc.

PROPOSITIO SEXTA.

Purgantia determinata, determinatos humores elective non expurgant, ut Antiqui existimarunt; nonnulla tamen plus unius fluidi, nonnulla plus alterius, præprimis ratione intensiōis vel remissionis operationis, è corpore eliminant.

ANTIQUIORES medici ad varia fluida quæ cathartici operatione eliminabantur attendentes, adverterunt quædam potissimum eliminari flava à purgantibus quibusdam, quædam serosa, admodum quædam mucosa & glarea, & tandem quædam nigra & spissa evacuari à certis, ac determinatis purgantibus; unde nata divisio in *Cholagoga* h. e. bilem purgantia, *Hydragoga* h. e. serum, *Phlegmagoga* h. e. pituitam, & *Menelagoga* h. e. melancholiam evacuantia. Sed quanta fides adhibenda sit colori materiei purgatæ, ut exinde diversa ipsius statuatur indoles, vel exindè judicare licet, quod haustum pharmacum sæpè materies in quas agit vario inficiat colore, sic rheum, curcuma, &c. alvinas fœces flavedine tingunt; cassia, vitrioli præparaciones, &c. atrum colorem ipsis conciliant. Quod verò penitus tollit dubium circa hanc antiquorum purgationem electivam est 1°. Non dari quatuor celebratos humores in massâ sanguineâ, quin imò 2°. Nullos dari humores formaliter in sanguine contentos, ut ex Physiologicis patet, ergo nullus humor in sanguine speciatim à pharmaco purgante eligi potest. Et reverà nonne tinctura purgans æque solvit quæ continentur in intestinis cujuslibet indolis, & serum sanguinis lymphaticum? Nonne pariter expurgat & partes laudabiles & excrementitias naturales morbosasve indifferentes prout ipsis occurrit. *Vid. prop. 4.*

Jam si attendamus inter farraginem ac multitudinem purgantium, quibus scetet materia medica, non omnia eodem sapore, odoreve donari, quin potius inter se summe diversis ac pugnantis, ut ex eo patet, quod purgantia alia huic grata sint homini alia ingrata, & primo appulsa nauseosa; si advertamus. 2^o. Diversa purgantia eadem encheiresi chymicâ tractata diversas, diversâ quantitate, quin imò heterogeneas, & penitus contrarias fundere partes; profectò fateri cogemur non eandem esse in singulis, & cunctis purgantibus particularum insensibilium combinationem, non eundem esse eorum textum, ac proinde ulterius fateri cogemur particulas hasce insensiles varias in variis purgantibus diversos habere respectus ad humorum nostrorum particulas inter se pariter diversas, hoc est uno verbo diversa purgantia diversimodè formaliter actura in fluida nostra. Jam ex fluidorum expurgandorum parte, si annotemus ea quamplurima esse (ut patet ex prop. 4.) & quidem non ejusdem indolis imprimis ratione crassitiei & fluxilitatis, si insuper adverterimus fluida hæc expurganda moleculis componi figurâ, mole, & mobilitate inter se variis, profectò concludere necessum erit quasdam ex memoratis fluidis particulis facilius, quasdam difficilius fore expurgandas, quin imò quasdam certos habere respectus ad particulas purgantis activas, quas aliæ non habent, & vice versâ. Igitur si hæc relata animo attentè voluimus profectò verum deprehendetur, purgantia, etsi indifferenter fluida occurrentia purgent, interim tamen quædam ex his aptiora esse ad purgandam majorem copiam uniùs fluidi & quædam alterius fluidi. Sed quomodo id præstent explicare hoc opus hic labor est. Interim variis circumstantiis tum ex parte corporis humani, tum ex parte pharmaci purgantis attendendo, rem elucidari posse speramus.

Etsi verò circumstantiæ innumeræ in corpore humano occurrant quibus sæpissime variatur actio purgantis, adeòt quod in certo subjecto talem materiem evacuat idem in alio aliam evacuet, pro variâ nempe materiei præsentia, & statu fluxilitatis, quin imò nonnunquam naturali ferme quasi ad purgationem intestinalem propensione, pro variâ insuper sensibilitate fibrarum & glandularum in variis subjectis, aliisve circumstantis ex parte corporis viventis expurgandi se habentibus; interim semper verum est quid peculiare inesse cuique singulo purganti, quo fit ut id uni fluido illud alteri expurgando aptius ex sua natura sit, id quod exemplo è quibusdam desumpto explicandum venit.

In expurgandis serositatibus, aliisque materiis phlegmaticis serosæ nimis lymphæ, vel pituitosæ nimis, aut crassæ & indigestæ, simulque abundantis sobole, ut videre est in cachectia, hydropis quamplurimis speciebus, leucophlegmatia, &c. Nonne medici elective usurpant determinata purgantia præ aliis, experientiâ viam ipsis ita commonstrante? si autem attendamus indoli horumce purgantium videbimus ea vehementia esse & lympham summe attenuare valentia, adeòt hæc viscositate spoliata in serum aquosum summe diffluat, videbimus ea summas parere irritationes in intestinis, tantò magis quò pleraque ex iis qualia sunt Jalappa, colocynthis, turbith, &c. particulis quibusdam tenacibus & resinosis donantur, quæ glandulis & fibris intestinorum summâ pertinacia adherent adeòt ab humoribus transluentibus, & contractione fibrarum propelli ac deturbari vix possint, quare assiduò in determinatas glandulas agendo, non possunt

nisi ipsas cogere ad expuendum continuò serum ; quamobrem hujusmodi purgantia qualibet fluida quidem expurgabunt , sed copiosius serum ob rationes peculiare traditas , unde dejectiones fermè sub seri forma diffluent.

Econtra verò ubi expurgandæ materies tenues , valdè exaltatæ , fermentescentes , rosivæ , & summum orgasmum in universo corpore concitantes , ut videre est in febribus acutis quamplurimis , sed imprimis quæ conjunguntur cum inflammatione viscerum , in tali æstu nonne certa eligimus purgantia , v. g. cassiam , mannam , rhabarbarum , tamarindos ? Incautus quis sennam purgansue mediocre aliud quodpiam præscribat , aluum nullatenùs aut vix movebit , ægrum in vitæ discrimen conjiciet , quo tempore potio è memoratis confecta purgantibus copiosissimas excitabit dejectiones , absque impetu , ægro felicissimas. Si autem ipsorum indolem consideremus videbimus ea debilia esse purgantia , cujus particulæ parùm commovent materies prædictas æstuantes , interim minimâ vi ipsas colliquant , æque , ut pote ad fluxilitatem ex se ipsis valdè dispositæ facillè fluunt & purgantur modo sub formâ materiei flavescens , quæ dicitur vulgò bilis , modo sub formâ seri cujusdam tenuis calidissimi , & acedine podicem validè irritantis , modo sub formâ sputi cujusdam fluxilis & spumescentis. Si autem talis materies à purgante validiori lacefceretur , hæc in motum summum concitaretur , ejusque partes ità agitantur , ità rarefcerent , ità difflarentur , ut fluidum constituere non possent expurgandum , & massâ sanguinea tantùm simul æstum ab iis miasmatis fomitibus febris conciperet , ità citò per vascula circularetur , ità dissiparetur per diapnoen summè insensilem serum naturale vehiculum ad secretiones destinatum , ut nihil liquidi per glandulas intestinales secerni posset , & quod jam in cavo intestinorum adesset æstu sanguinis dissiparetur ; undè nulla expurgatio , nullusque pharmaci hausti effectus consuetus. Quamobrem ex traditis exemplis jam patet nonnullis purgantibus llatum esse , certæ indolis fluida facillè purgare , idque ex intensiori mitiorive ipsorum actione imprimis pendere.

PROPOSITIO SEPTIMA.

Particula illa exigua, quibus purgantia primarum viarum materies colliquant, lympham exsoluunt, & speciatim intestinorum glandulas, & fibras irritant (pro ut declaratum prop. 4.) salia non sunt.

CH Y M I C I ingeniosè sanè sua excogitarunt elementa , quasi verò nullæ darentur in corporibus moleculæ quæ non nisi aliquam ex determinatis quatuor figuris elementis totidem appropriatis haberent , quasi verò corpus quod opus aliquod præstat resolui statim in sua elementa , ut singula agere possent , deberet ; hæc ità se habere debent , vel vis corporum , & operationes ipsis solis elementis adscribi minimè possunt ; sed in quotnam naturæ operibus insufficiencia quotidie deprehendunt physici elementa ignea ? Id vel sola manifestat vis purgantium , quidquid chymistæ effutiant de sale , ut principio summe activo ; etenim primò videmus purgantia insipida fermè , & inodora ne hilum salis commonstrantia , quæ tamen summâ cum violentiâ operantur , ut sunt Jalappæ radix , scammonium , &c. Econtra 2^o. Nonnulla sapida valdè ut manna , cassia , tamarindi , vel etiam manifesta salina , ut sulphureum , quæ tamen mi-

iffimè purgant. 3°. Sal purgans, certè quodlibet non est, sed unius speciei & peculiaris indolis, interim manna, cassia, tamarindi sal acidum, aloes alcalinum, & polychrestum sal falsum nobis exhibent. Quare 4°. Alia pharmaca sapida vel insipida, hujus modi proindè sal in se continentia, vim non habent purgandi? Respondet chymista certam debere adesse unionem & proportionem aliorum elementorum, sed imprimis certam modificationem sulfuris cum quibusdam particulis salinis. Verùm chymistam rogabo. 1°. Utrùm molecula, quæ resultabit ex tali suorum elementorum modificatione, erit sal aliquod? 2°. Qualis requiratur assignatorum elementorum unio, qualis proportio ut molecula evadat purgans? Ad primum respondere non poterit chymista moleculam resultantem ex suâ elementorum modificatione, ut talem, esse sal, alioquin responsio ridicula foret, & quælibet corpora salia dici possent, adeo ut exindè nihil certius statui posset qualitatibus antiquorum occultis; ad Secundum nullum existimo chymistam, nullumve hominem qui respondere queat, si enim quis sciolus elementorum proportionem certò determinare vellet in purgante pharmaco, profectò infinita ipsi obtruderentur corpora non purgantia, quibus ipsorum assignata elementorum proportio conveniret, obtruderetur ipsis diversa & contraria indoles in purgantibus diversis se manifestans gustu, analysi chymicâ, &c. Obtruderetur tandem ipsis nullum purgans certâ ratione, & demonstratione detectum fuisse, sed mero casu, & experientia, nec alio pacto detegi posse. 5°. Senna aliudve purgans pharmacum distilletur, hinc sal exhibeatur, nihil purgabit, commisceantur hæc elementa chymica mediâ distillatione exorta, terra nempe, aqua, sal, sulfur & mercurius, nil pariter purgantis speciei demonstrabunt. Huic experimento nihil aliud respondere poterit chymista nisi sal purum equidem non purgare, sed cæteris elementis certo quodam modo modificatum, cum autem talis modificatio igne destructa est rursus mixtione procreari nequit; Igitur ex ratiocinio etiam chymicorum ipsorum deducere est moleculas quibus agunt purgantia salia non esse, sed mixta vera à certis elementorum modificationibus resultantia. Quare patet veritas propositionis.

Jam vero moleculæ quibus agunt purgantia utrùm immediate ex elementis cartesianis, an epicureis, an chymicis profluxerint disquirere supervacaneum existimo, & perinde est ex quibuslibet particulis coaluerint, sufficit certum esse eas mera non esse elementa, sed vera concreta, non tamen veras pharmaci particulas integrantes; in pharmaco etenim partes sunt nonnullæ quæ non purgant, quod manifestè demonstratur dum peraguntur extracta purgantium, sic quod remanet fœcis ex extracto panchiniagogo non aut vix purgat, siceductâ resina Jalappæ, lignosa radicis substantia inefficax evadit; undè agnoscimus in purgantibus moleculas nonnullas tantum purgantes, in aliis plures, in aliis pauciores, in aliis activiores, in aliis minus activas, quarum jam mores, consistentias, figuras determinare impossibile, quin imò medico supervacaneum judico; sufficit ipsarum agnoscere operationem & mutationes quas præstant in corpore humano; quæ omnia prop. 4. 5. & 6. sufficienter ad praxim exhibentur.

ERGO Purgantium vis, non à Salibus?

Propugnabit in Augustissimo Monspeliensis Appollinis fano JOSEPHUS DONZY, Meximiacensis apud Sebustianos, Jam dudum Medicina Studiosus, ab horâ octavâ ad meridiem die mensis Februarii 1713.